



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mechlinia Illustrata Luce Miraculorum S. Francisci Xaverii  
Orbis Utriusque Solis Ac Thaumaturgi Chronicis Distichis  
evulgata Anno M.D.C.LXVI.**

**Grumsel, Gérard**

**Mechliniae, 1666**

§. 1.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11918**

ram Deo maturè consideratis, decernendum post longam, & sèpius iteratam inquisitionem putavimus, prout per præsentes decernimus, posse dictæ Catharinae sanationem tamquam miraculosam, & per merita Sancti FRANCISCI XAVERII à Deo factam, & impetratam censeri, & publicari; & ut talem publicamus & censere nos testamur: Auctorem omnium Deum rogantes, ut sicut Indianorum gentes Sancti FRANCISCI XAVERII dum vixit, prædicione, & Miraculis Ecclesiæ suæ aggregare voluit, ita modo bisce in partibus ejusdem Miraculis, & intercessione fideles populos velit in eadem conservare, & confirmare; usque, qui quovis errore ab eis segregati sunt, ad eamdem benignè reducere. In horum omnium fidem basce manu propriâ signavi, & Vicariatus nostri sigillo muniri curavi. Die XIX. Mensis Martii, Anno Domini 1664.

Locus \* Sigilli,

J. HOE BRAKEN

## APPROBATIONES BENEFICIORUM

### §. I.

ANDREAS Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis Omnis has visuris salutem in Domino. Cum in dies clarescant plura, ac plura Beneficia quæ divina manus largè conferre dignoscitur ad sacras Reliquias de Brachio dextero magni Indianorum Apostoli S. FRANCISCI XAVERII in templo Societatis JESU Mechliniae fidelium venerationi, nobis approbantibus expositas, de iisque per Revend. Admodum Dominos Commissarios ad hoc deputatos legitimæ sint captæ informationes: Nos per eos debitè informati (quamquam non dubitarent quin complura Miraculis à nobis merito adscribi posse viderentur) maturiori adhuc examini illa cum aliis reservantes neque certi quidquam in præsentiarum decernentes, vulgari typis omnia dumtaxat permittimus, in fide bonâ eorum, quise à S. FRANCISCO XAVERIO accepisse apud supradictos Reverendos Admodum Dominos Commissarios legitimè depositâ, ut videant omnes non esse abbreviatam manum Domini, quin salvare possit, etiam in particulâ Brachii Servi sui: adeoque incitentur ad divinam ejus misericordiam per Sancti sui intercessionem ferventiùs implorandam, & felicius consequendam. Datum Mechliniae die decimâ sextâ Mensis Februarii, Anno Domini 1662.

Locus \* Sigilli.

ANDREAS Archiepiscopus Mechliniensis

**I**dem Illust: Dominus alias Approbationes de aliis beneficiis similis forme dedit **xxi.ii.**  
Novembris M. DC. LX. & xi. Februarii M. DC. LXI. Et hanc extendit ad no-  
va Beneficia **xx.** Septemb. M. DC. LXII. ii. Octob. M. DC. LXIII. xxviii.  
Novembris M. DC. LXV. Die vero **xxii.** Ott. M. DC. LXVI. eamdem extensi-  
rus fuit ad felicem partum Marie Anne Sentener. Fuit & tum instantaneam sanationem  
Gasparis Scheerlinck Novitiis Societatis JESU Mechlinie ut Miraculum novâ formu-  
la approbaturus, si instrumenta, que à RR. Adm. DD. Commissariis Mechliniae legitimè  
consecrata esse intellexerat, Bruxellis fuissent ad manum. Superveniens inexpectata He-  
miplexia, & subsecuta mors suriusque subscriptionem, que sola deest, impeditivit.

§. 2.

**F. AMBROSIUS Capello Dei d' Apostolicae Sedi Gratia Episcopus**  
*Antverpiensis Omnibus has visuris salutem in Domino.*

**C**um intellexerimus in subjecto nobis oppido Lirano, alijs-  
que varia beneficia obtineri imploratâ ope S. FRANCISCI  
XAVERII Indiarum, ac Japoniarum Apostoli, cuius sacræ Re-  
liquiæ de Brachio dextro in templo Societatis JESU Mechliniae  
magno concursu, ac fructu à confluente undique fideli populo  
coluntur: commisimus R. R. Adm. D. D. Gaffari Smits Oppidi  
Lirani Plebano, & Christianitatis Decano, ac Sac. Theologiæ  
Licentiato, & Edmundo Bedingfeld Canonico Ecclesiæ Colle-  
giatae S. Gommaris Liræ, ut inquirerent nominatim in bene-  
ficia, ac gratias, quas per intercessionem ejusdem S. FRANCISCI  
XAVERII obtinuisse se profitentur Anna Tomas filia Liranæ  
annorum circiter 33. & Catharina van Hoef Uxor Petri vander  
Elst Civis Lirani. Qui commisso à nobis munere ritè fungentes  
exactâ primum jurisjurandi religione, legitima de iis consecrare  
instrumenta, quæ ad nos transmisere, quibus ipsi etiam subscrip-  
sere. Et quia judicamus piè, ac prudenter credi posse non sine  
singulari patrocinio ejusdem Sancti illa Beneficia esse ab iis ob-  
tenta, nihil ulterius modò decernentes, permittimus ut ea, pro  
ut in illis instrumentis narrantur, typis vulgari possint, in bona  
sic deponentium fide, ut eorum notitiâ excitati fideles subjecti,  
aliique in tribulationibus suis auxilium opportunum querere, &  
invenire valeant ab eo, quem approbatis ab Illust. ac Rev. Mech-  
liniensium Archiepiscopo Miraculis, aliisque Beneficiis illo in  
loco mirificare videtur velle Deus, qui etiam hodie in particulâ  
Brachii Sancti sui innovat signa, & immutat mirabilia; glorificat  
manū & brachium dexterum suū. *Datum Antwerpia 29. Aug. 1662.*

*Locus Sigilli.*

**F. AMBROSIUS Episcop: Antverp:**